

SECUNDA PARS.

VIDIMUS DOLORUM EXTERNORUM FONTES : VIDEAMUS
NUNC FONTES ETIAM INTERNORUM.

I. Fons, prævisio passionis. — II. Peccatorum omnium clara cognitio. — III. Scelus Judæorum. — IV. Ingratitudo hominum.

I. Doloris ergo interni fons primus, prævisio passionis et omnium cruciatuum, evidentissima et clarissima, eaque durans toto vitæ ejus tempore. Dici quidem solet: *Jacula prævisa minus feriunt; sed hoc verum est solummodo de jaculis, quæ averti aut vitari, si non omnino, saltem ex parte possunt, non autem de illis, quæ nulla ratione impediri possunt, qualia sunt fulmina.* Nam si quis inopinato feriat fulmine, minorem ac longe brevior sentiet dolorem quam qui a multo tempore, scivit se fulminandum; hic enim semper maximo cum honore et timore fulmen undique expectat: quemadmodum de Æschylo poeta refert Plinius, l. X. cap. III. cum satis intellexisset se ruina opprimendum, sedulo cavisset ne quod tectum subintroidet, ideoque in aprico ambulanti testudinis illapsu, quam aquila dejecerat, interiisse. Hinc est, quod Christus Dominus passionis et mortis sævoties mentionem fecerit antequam pateretur, veluti apud Matth. c. XX. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et rursus: *Ecce ascendimus Jerosolymam et Filius hominis tradetur, etc.* Et c. X. *Qui non accepit crucem suam et sequitur me.* Et c. XVI. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam.* Apud Lucam, c. XII. *Baptismo habeo baptizari, etc.* Et c. XVII. *Qui non bajulat crucem suam, etc.* Abraham immolaturus filium suum, nequaquam ei aperuit quid facturus illi esset, licet filius interrogasset: *Pater, ecce ignis et ligna, ubi est victima holocausti?* Respondit enim: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi, ne videlicet eum horrore impleret, si rem aperiret.* At non ita cum Christo actum, qui præscivit omnia sibi eventura. « Nos quidem malorum hujusmodi impendentium, (inquit Lessius de perfect. div. l. XII. c. XVII.) apprehensione interdum parum commovemur: quia rudi modo et tamquam adhuc procul posita concipimus: verum Dominus ab initio conceptionis non minus efficaciter et vivaciter ea concipiebat, animoque proposita habebat, quam si præsentia oculis corporis intuitus fuisset, unde non minus illorum consideratione moveri, et affligi poterat, quam si mox ea sibi subeunda vidisset. Quantam autem prædictorum malorum consideratio vim in animo, et quando ipse voluit permittere, etiam in corpore

Domini nostri habuerit, colligi potest ex iis quæ in horto, dum Patrem oraret et calicem illum amarissimum deprecaretur, perpessus est, ubi tantas ex hac apprehensione angustias, tantam naturæ luctam sustinuit, ut sanguineum sudorem copiosissime effuderit. Cum enim natura tantam suppliciorum acerbiter, et tantum peccatorum nostrorum pondus sibi imponendum summe refugeret; et ex contrario charitas Christi et obedientia paterna, cum efficacissime ad illa acceptanda et perpetianda propelleret, factum est ut ex hac agonia et veluti collectatione, naturæ impetu victus sanguineum sudorem emisit. Sanguis enim introrsum refugiens, mox summo impetu extrorsum ad superficiem repulsus, simul cum sudore per poros corporis foras largiter est effusus. Ex quo patet et quantopere natura supplicia illa refugerit, et quanta vi spiritus naturam vicerit, eumque ad illa amplectenda impulserit, et quantum in utroque natura illa innocentissima sit perpessa. »

Quando itaque Domini nostri tota vita crux fuit et perpetua meditatio de salute nostra, quomodo fieri potest, ut tanto sæpe tempore obliviscamur passionis Christi et salutis nostræ?

II. Secundus, peccatorum totius mundi omnium et singulorum clara cognitio et representatio, necnon de iis universalis contritio, ob honorem Patris tam graviter offensum. Hæc enim offensa Patris magis eum afflixit quam tormenta externa. Nam si filius aliquis occidisset patrem et postea a magistratu comprehensus morti adjudicaretur: a fratre vero ingenti pecuniæ summa liberaretur; certe non tam dolebit hic frater ob pecuniæ datæ jacturam, quam ob patris necem: ejus enim vitam multo carius emerit, si posset. Sic in proposito multo magis doluit Christus injuriam divinæ majestati per peccatum irrogatam, quam tormenta sua. « Cernebat ille perspicue (ita discurret Lessius, de perfect. loco cit.) et in particulari peccata omnia, et quanta singulis infinitæ illi bonitati et majestati fieret injuria, quanta contumelia, quantum contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus nostrum sibi per peccatum accersiverat. Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali et perfectionem cognitionis, qua malum illud apprehenditur: atqui malum hic erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, et abyssus malitiæ contra divinum numen) tum in ratione pœnæ. Quæ enim major calamitas et afflictio hngi po-

test, quam sit æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multo enim exactius et clarior singula considerabat et ponderabat, quam ulla creatura posset. Itaque oportuit et ipsum dolorem maximum esse, ut qui magnitudini mali et perfectioni apprehensionis, responderit. Unde non dubitaverim affirmare, hunc dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam Domino milies eripiendam, si vim suam in corpus exercere permissus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi seu mœstitiæ vitam interciperet et hominem occidere possit, multis exemplis constat. Legimus enim quosdam vehementia contritionis subito extinctos, et Heli dolore captæ aræ retrorsum cecidit et expiravit. Similiter, et nurus ejus dolore ejusdem cladis extincta est. Ita enim cor concluditur, refluxente ad ipsum sanguine cum spiritu, ut impedita naturali diastole et systole, multa fuligine collecta suffocetur. Sicut e contrario in maxima lætitia ita subinde dilatatur, ut spiritu effuso et dissipato vita simul evanescat. At dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longe major fuit et intensione et æstimatione, quam ullus dolor in hominem cadere possit. Sed dispensatorie factum est, ne vis ejus in corpus se proferret, nisi quando et quantum Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum, appetitus inferioris et commotionis spirituum et sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis usque ad finem vitæ, sicut et apprehensio peccatorum; quamvis non semper æque in appetitum inferiorem et corpus permissus sit redundare? Sed interdum plus, interdum minus, prout occasiones exteriores, et tempus et locus postulabant: maxime autem ei laxatæ habent in horto, quando sudorem sanguineum expressit et reliquo passionis tempore, nimirum ut pars inferior non solum extrinsecus flagellis, spinis, cruce, sed etiam intrinsecus tristitia spontanea affligeretur, sicque cum externa satisfactione per passionem carnis, exhiberet simul internam per dolorem spiritus. »

III. Tertius, scelus Judæorum, quo mediante passurus erat. Si enim alibi obstinatio et impœnitentia Jerosolymæ lacrymas illi excussit; quid mirum si nunc gravissimum eorum peccatum sanguineum ei sudorem exprimat? Quis nescit scelera filiorum gravius longe affligere parentes quam aliorum? « Nausimenes Atheniensis uxor (inquit Valerius Maxi. l. I. cap. VIII.) cum filii ac filiæ suæ stupro intervenisset, inopinati monstri percussa conspectu et in præsens tempus ad indignandum et in posterum ad loquendum obmutuit. » Quid nimirum ergo si Dominus popu-

sui electi horrendum Dei et parricidii scelus coram intuens, adeo percussus et contristatus est, ut pro aqueo sudore sanguineum emitteret? Porro præter illud scelus vidit etiam imminentem eis cladem, urbis excidium et gehennam denique. Vidit jam qua ratione a Romanis circumdandi, constringendi, capiendi, discindendi, crucifigendi, fame premendi essent. Vidit matres aliquas filiorum carnibus saturandas: alios solius conspectu panis præ gaudio exanimandos, etc. Quæ omnia ut olim lacrymas, ita nunc expresserunt ei sanguinem.

IV. Quartus, ingratitude hominum, quorum innumeri passionis fructum non modo non acceptaturi, sed et pedibus proculcaturi erant. Et huc videtur mihi respexisse Dominus, quando ex decem illis leprosis a se sanatis, non nisi uno revertente cum gratitudine, cæteris autem ingratitude labe se gravius pollutibus, dixit: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Itane vix decima pars salvatur, cum pro omnibus abunde satisfecerim? Scimus ex parabola illa Matth. XXII. regem qui maximis impensis paraverat nuptias filio suo, cum audisset invitatos omnes negligere et alio abire, iratum esse et perdidisse illos. Quid doloris ergo sensit Dominus, cum vidit tanto impendio, sui nimirum ipsius mactatione, parasse se convivium hominibus, id tamen a plerisque negligi et sperni? Ex his opinor, videmus quam vere Dominus passionem suam, et baptismum appellavit et calicem, ut qui non minus intus in animo quam foris in corpore gravissima passus sit, quamque proinde merito dicat in Psal. LXXXVII. *(qui totus passionem ejus describit.) In me transierunt iræ tuæ et terrores tui conturbaverunt me. Circumdede runt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.* Undique enim dolores, undique angustia, et in ipsum transierunt et foris eum ambierunt, ut tam interna quam externa nostra peccata puniret et dilueret. Hi namque fontes, hæ radices sunt utrorumque cruciatuum quos ne Servatori nostro quodammodo renovemus caveamus totis viribus offendere eundem, sive internis sive externis operibus, etc.